

**LETTRE DE S. S. LEON XIII A S. E. ... LE CARDINAL TASCHEREAU**

*Dilecto Filio Nostro Alexandro S. R. E. Presbytero Cardinali  
Taschereau, Quebecensi Archiepiscopo.*

LEO PP. XIII

Dilecte Fili Noster Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Jucundum Nobis agnitu fuit in Lavallensi Academia, in qua Cancellarii Apostolici dignitatem obtines, ex liberalitate Clari Viri Baillargé Advocati Quebecensis factum esse, ut professoribus aliis novus adjiceretur cujus munus sit juvenes ad humaniorum artium disciplinas, et ad eloquentiæ laudem excolere. De hac quidem re haud mediocris fuit gratulatio Nostra, tum quia in iis quæ ad pleniorē studiosæ juventutis institutionem spectant, profectum, religionis rei que publicæ bonum contineri putamus, tum quia necessarium maxime ducimus ad disciplinam eloquentiæ catholicis juvenes rite informari, ut tum voce tum scripto apud fideles boni adsertores, ac propagatores veritatis esse valeant, censemus proinde memoratum Dilectum Filium, non modo incremento optimorum studiorum in patria sua salutariter prospexisse, sed etiam clarum quoddam monumentum statuisse nomini suo, quippe res ab eo gesta apud posteros quoque nedum apud æquales, egregiam illi laudem erit paritura. Ex hoc autem nobili exemplo firmiter confidimus stimulos additum iri et aliis fidelibus, qui zelo et opibus præstant, ut de recta ac plena juvenum institutione bene mereri velint, ac sua liberalitate juvare studeant gravissimum opus illud, quod ad rectum juvenilium mentium et animorum cultum tam necessario tempore dirigitur. Quod autem propter locorum distantiam voce præstare non possumus, id tuo ministerio Dilecte Fili Noster committimus, ut hosce sensus paterni animi Nostri illustri Viro quem diximus patefacias, cui Nos am plam a Deo eximii operis remunerationem adprecamur. Hac autem occasione a Te, Dilecte Filii Noster, et a VV : FF : Provinciæ istius Quebecensis Episcopis magnopere poscimus, ut conjunctis animis ea quæ pertinent ad stabilitatem præsidium prosperitatem rectumque ordinem Academiæ Lavallensis, quam unam una cum subsidiariis scholis Monteregio consistentibus catholicæ titulo S. hæc sedes ornandam censuit, omni studio curetis, atque operam detis ut juvenes e Collegiis et Seminariis vestris inter ejusdem Academiæ auditores recenseantur. Egregiæ vestræ virtuti fidentes in auspiciis cœlestium munerum, et pignus sinceræ dilectionis Nostræ Apostolicam Benedictionem, Tibi Dilecte Fili Noster, Illustri Viro quem memoravimus, cunctisque qui ope et liberalitate sua de optima juvenum institutione istic benemereri student, necnon Clero et Fidelibus quibus præsides, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romæ apud S. Petrum die XXVI Julii Anno MDCCC LXXXVI. Pontificatus Nostri Nono.

LEO PP. XIII